Q. D. B. V.

DISPVTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

LEGUM AC CONSUETUDINUM IN GENERE, ET IN SPECIE EARVM, QVAE IN ROMANO-GERMANICI IMPERII NOSTRI ACADEMIIS CEV VNIVERSALES EXPLICARI, AVT IN JVDICIIS FREQVENTARI SOLENT, PRÆCIPVIS FONTIBVS AC REGVLIS.

QVAM

DEI OPT. MAX. PRÆSIDIO FRETVS

Authoritate ac Decreto

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS IN ILLVSTRI ARGENTORATENSIVM VNIVERSITATE

PRO

Summis in Utroque Jure Honoribus & Privilegiis Doctoralibus ritè conſequendis

Publicæ ac Solenni diſquiſitioni exponit

JOHAN. GOTTFRIDVS SCHMALTZIVS, ERPHORDIA-THVRINGVS.

Ad diem Auguſt.

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.
ANNO M. DC. LXXII.

ROMA

I. N. D. N. J. C.

REmpub. ſine latis legibus, ob
hominum inconſtantiam, imperi-
tiam, improbitatem atque malitiam, eſſe non
poſſe, tàm certum, ut qui multis id probare ve-
lit, operam perdat omnem. *Schönb. l. 3. polit. c. 1.*
Bach. comment. in prim. part. pand. cap. d. nat. Iu-
r. n. 6. D. Struv. S. I. C. Exerc. 1. th 1. ſeq. Ferri quoque non pro
itu poſſe, ſed multarum rerum ratione habita, minus dubi-
ır. *vid. l. 8. C. d. LL.* Porrò ſine judiciis & LL. applicatione
ctiones civium, leges nihil prodeſſe, in aprico eſſe autumo.
pon. in l. 2. §. 13. d. O. I. Vinn. ad pr. Inſtit. d. Action. n. 4. Sum-
n verò civilem poteſtatem, quæ LL. optimè intelligit, omni-
in civitate peragendis, & adeò decidendis controverſiis ſuf-
re, nemo ſanæ mentis dixerit. Unde in his atque aliis alio-
operâ uti cogitur. In quibus, ſi rectè jura applicent ad
ones civium, & inter id, quod juſtum & injuſtum eſt, di-
nant, legum ſcientiam requiri, i. e. vim LL. ac poteſtatem
ere illos debere *vid. Celſ. in l. 17. ff. d. LL.* neceſſariò conſe-
tur; maximè quando (ut alia taceam) per rerum naturam
non poteſt, leges ita ſcribi, ut caſus omnes, qui quandoque
derint, comprehendantur. *ICt. Iul. in l. 10. ff. d. LL. Bach. d.*
7. & d. Action. D. 1. th. 3. ſeq. Ex quibus patet, quòd qui circa
m enunciationem ſæpè obſcuram, multis modis imperfe-
, vel etiam conſuetudinem interpretando, judicando &c.
atur, fontium, unde jura fluant, & regularum, ad quas,
feruntur LL, tacito conſenſu approbantur conſuetudines,
icitur, notitiâ inſtructus eſſe debeat. *D. Eich. in præfat. com-*
t. ad tit. ff. d. R. I. maximè th. 8. Non aliena igitur à juris ſtu-
, ſed ſummè neceſſaria atque utilia [quibus, non aliis, hîc

& alibi lector] me tractare clarum eſt, ſi de hiſce, quinam ſc. præcipui ſint, cùm aliorum, tùm maximè jurium morumque univerſalium noſtrorum, in hac Inaugurali, quam Illuſtris Argentinæ Ampliſſ. Juridica Facultas, mihi, poſt exantlata in utroque jure ſolennia examina, conſcribere, & ſine præſide defendere conceſſit, diſſeram. Ubi quidem [ut hoc addam] antea cœperam variam jura diſcendi methodum colligere atque conſiderare, ſed qvum ſine libris & manuſcriptis meis, quibus pro tempore carere cogor, perficere non poſſem, id quod proximum, imò quod illius partem conſtituit, elegi. Aſt Principes LL. fontes aut regulas in medium allaturo mihi magis attingere, quàm plenius eosdem perſequi, hâc quidem vice, multorum ratione habitâ, eſt animus. Et hoc in aliquot capitibus, quorum primum in genere, cetera in ſpecie agent de iisdem. Deus Cœptis annue!

CAPUT I.

De LL. ac conſuetudinum tùm aliarum rerumpub., tùm Romano-Germanici Imperii noſtri, fontibus ac regulis in genere.

Th. I.

ANtequam ad tractationis noſtræ nos objectum accommodaremus, aliquot quæſtiones quaſi præliminariæ, à quibus dependet, quod tractandum ſumpſimus, decidendæ videbantur. Etenim fruſtra quæſieris fontes & regulas LL. humanarum, niſi prius conſtet, regimen politicum inter homines, probandum eſſe, nec obſtare aut impediri illud à naturali hominum libertate atque æqualitate. Quam dubitationem augere videntur, quæ de primis inter homines imperiis, quomodo ſc. orta ſint, alicubi leguntur. Deinde tractatio omnis fruſtra eſt, niſi oſtenderis, ne pugnare quidem illud cum Chriſtiana religione, & adeò in Eccleſia quoque officium magiſtratus tolerari debere, vel neceſſarium eſſe; quod Anabaptiſtæ negant, addu-

adductis ſacræ ſcripturæ textibus, adjunctis aliquam multis rationibus. Et pientiſſimi Chriſtiani Principes de hoc dubitaſſe aliquando dicuntur. Ergò hæc omnia diſcutienda ac probanda prius videbantur, quàm poſſemus propoſitum noſtrum aggredi. Verùm quia hæc & ſimilia partim tàm certa, ut vix probatione indigere videantur, partim ab aliis dudum pluribus demonſtrata, denique à ſcopo noſtro paulò remotiora adeoque aliena, ideò hactenus ceu indubia præſupponimus. *vid. D. Gerhard. loc. d. Magiſt. polit. th. 27. ſeqq. ad th 74. pl. Rev. D. Schmidt. Colleg. Bibl. prior. loc. d. Magiſtr. pol. ad dict. Deut. 16. v. 18. § 13. ſeq. Dn Boſ. in Not. Orb. Imp. part. general c. §.* Sicut & hæc; Omnem in univerſum rempub. vel inſtitutam olim, vel hodiè inſtituendam haud caruiſſe legibus, aut carere etiam poſſe *D. Eich. comment. d. R. I. præfat. th. 1. ſeq. & in Diſſert. d. Interpr. LL. part. 1. c. 6. §. 6. ſeq.* denique Legum certos eſſe fontes, regulas, ac terminos, unde fluere, ad quas reſpicere, quosque transgredi non debeant, alioquin legum nomen non mereri *D. Gerhard. d. l. th. 221. Sam. Pufend. Elem. Juriſpr. lib. 1. Def. 13 §. 6.* hæc, inquam, denuò pro immotis habemus.

Th. II. Remotis aut ſaltim indicatis & remiſſivè tractatis atque exemtis quæ præſenti tractationi impedimento eſſe videbantur, dubiis, in duo iſthæc I. Quinam Legum Civilium præcipui fontes ſint ac regulæ, unde illæ deduci debeant, & ad quas legislatorem reſpicere in ferendis LL. oporteat. II. Quid de Imperii noſtri Legibus ac moribus reſpectu illorum fontium ac regularum ſit habendum; paucis, ut præfatus ſum, inquirens primo loco terminos rem ipſam ſignificantes, ut decet, exponerem, ſubſtituendo atque addendo plura & notiora hujus ejusdem rei ſigna, niſi iſta (quamvis fortè ad denotandam rem aliam primùm inventa ſint, & adhuc quoque non unum iisdem indicetur) ſatis nota eſſent, ac de mente atque intentione mea per eadem, ut opinor, ſatis omnibus conſtaret. Ideoque ne nudis verbis verba, hîc quidem, ſine imò contra rationem cumulentur, ad rem ipſam tranſeo.

Th. III. Quod igitur ad primam Diſputationis hujus principalem quæſtionem attinet, quia inter omnes. conſtat, ſummum finem reipub., eſſe felicitatem civium, & verò media, inter quæ vel maximè ſunt Leges, ex fine æſtimari debent, generalis LL. humanarum regula, ad quam Legislator reſpicere, & quàm minimum ab ea, intentione ſua (cujus intuitu finis mediis prior eſt) deflectere oporteat, conſtitui poteſt in ſalute reipub. de qua vid. *S. Paul. 1. Timoth. 2. v. 2. add. Nov. 133. c. 5. circ. fin. Nov. 77. in præfat. Dn.* von Seckendorff in Teutſcher Fürſten Stat. *part. 2. c. 1. §. 6. & c. 11. §. 1.*

Th. IV. Salutem verò reipub. intendens in ſpecie inprimis reſpicere debet I. ad divinam voluntatem ſive Legem, ut noviter ferendæ LL. cum illa congruant, aut eidem ſaltem non repugnent. II. ad Humanam naturam, & jus ad eam directum, tanquam arborem, cujus ſurculus veluti ſit præceptum ſummæ civilis poteſtatis, certè illi non ſit contrarium. III. ad Naturam & rationem reipub. in genere, ut dicto modo LL. ſe erga eandem habeant. IV. ad Formam reipub. cujus leges ſint, accidentalem. V. ad rerum, quas ſic aut aliter tractari, leges jubeant, vel prohibeant, conditionem. VI. ad Ingenium populi. VII. ad Loci, & VIII. ad temporis circumſtantias, ubi ſc. & quando feruntur. Hos puto ſpeciales præcipuos ſive fontes ſive regulas, ad quas cùm Legislatorem in eruendis ac ferendis, tùm judicem atque interpretem in interpretandis & applicandis Legibus ad actiones civium, ſi optatum finem aſſequantur, reſpicere, nec quicquam pro mero & nudo arbitrio ſuo ſtatuere oporteat. De quibus ſingulis in ſequentibus. Utrum verò omnia ſimul, an aliqua ſemper obſervanda ſint; an unum alteri, & quod, cui, cedere interdum debeat, inferius monebitur.

Th. V. Allati fontes ac regulæ diviſiones admittunt. Etenim 1. (ut omittam alias) quaſdam regulas rectè dixeris communes, & vel magis vel minus; quaſdam verò non item.

Deinde

Deinde aliæ perpetuæ, aliæ non perpetuæ apparent. Quæ ſint communes regulæ, quæ item perpetuæ, aut non ſint, ex ſingulis capitibus facilè conſtabit.

Th. VI. Ex hiſce verò fontibus, aut ad haſce regulas Reipub. noſtræ LL. ac conſuetudines potiſſimum fluxiſſe, atque directas eſſe, is poteſt deprehendere, qui neceſſaria ſcientiâ & prudentiâ inſtructus easdem accuratius conſiderare didicit. Nonnullas (plures enim aut omnes jam examinare non licet) fontibus aut regulis ſingulis tanquam exempla ſubjiciam.

CAPUT II.

De voluntate divina in Sacris Scripturis revelata, primo LL. & in ſpecie Imperii noſtri fonte ac regula.

Th. I.

VErborum majori cura etiam hîc & in ſequentibns ſepoſitâ, quod & materia & inſtituti ratio efflagitant, ſaltem repeto, per voluntatem divinam ipſum velle divinum, ſive ipſam Dei legem intelligi, quæ hominibus promulgata & in ſacras literas relata eſt.

Th. II. Diviſionibus etiam, quæ hujus Legis à DD. traduntur, *vid. D. Chemn. loc. Theol. loc. d. leg. Dei. c. 4. d. Diviſ. Leg. D. Dannhavv. Hodoſ. phænom. VI. p. 464. ſeq.* (*edit. ſecund.*) *Vallenſ. parat. Decretal. proœm. §. 4. n. 4. ſeq.* inſuper jam habitis (*in* ſequentibus tamen unam vel alteram ſpeciem attingens) ſimpliciter intelligo divinam voluntatem ſive legem, quatenus & quamdiu talis eſt, quocunque tandem nomine indigitari ſoleat.

Th. III. Divini verò Numinis, ejusque ſanctisſimæ revelatæ voluntatis, dum feruntur LL., ante omnia, ne quid contra ſtatuatur, neceſſariò haberi rationem, adeoque Leges humanas divinis accommodandas eſſe, nemo vel micam rationis habens iverit inficias. Etenim quod Deus ſeſe manifeſtando declarandoque voluntatem nobis ſuam nihil agere voluerit, aut non intenderit effectum, non dicam impii maximè, ſed planè fu-

nè furioſi vel dementis eſt aſſerere. Quin enim nos creatori noſtro ſimus ſubjecti, adeoque quin quæ præſtari velit, poſſit nobis injungere, & quidem efficaciter i.e. ita, ut, ſi de facto abeamus in contraria, nos majus malum maneat, quàm bonum eſt, quod ex juſſi violatione in nos redundat; quin denique unumquodque præceptorum tali pœna ab illius transgreſſore ſubeunda (niſi pœnitenti gratis remittatur) ſit munitum, nulla unquam poteſt eſſe dubitatio. Et quidem divina illa præcepta ad omnes pertinere, niſi contrarium, & ſc. quòd certis quibusdam tantùm data ſint, appareat, propter hominum hactenus æqualitatem, & quòd aliàs quisnam lege comprehenſus ſit, maximè incertum, omninò eſt dicendum. Unde civilis poteſtatis, ut quæ contra Deum nihil poteſt, juſſum divinis legibus adverſum, ptopriè loquendo, obligabit neminem, nec lex, ſed mera corruptela erit. *Dn.* von Seckendorff in Teutſcher Fürſten Stat. *part. 2. c. 11. §. 5. Bach. comment. ff. c. d. jur. n. 6. pag. 26.* Et qui ſubditi impium mandatum exequi præſumſerint, iram atque indignationem divinam una cum magiſtratu ſuo incurrere neceſsè eſt. *vid. quæ ex Auguſt. in c. 1. Diſt. 9.* Infeliciſſimam verò rempub. quæ iratum Deum ſentiat! Unde apud Romanos ſumma ſp. fuit ratio, quæ pro religione facit. *vid. l. 43. in fin. ff. d. relig. & ſumpt. fun. Val. Max. l. 1. c. 1. Clapm. lib. 6. d. Arcan. rerumpub. c. 4.* Deinde civilis ſumma poteſtas, quemcunque tandem finem ſibi propoſuerit, peſſimè ſibi conſulit, quæ pietatem erga Deum atque religionem, quâ nihil magis ſubditorum animos percellit, ſeu quâ veluti thyrſo humanæ mentes percutiuntur, *ut loquitur Clapm. (edit. Schoock.) l. 2. c. 15. add. l. 3. c. 23. l. 4. c. 12.* ut adeò vel ob hoc reipub. omnis fundamentum dici poſſit, inſuper habendo, atheiſmum lege ſua docet ſubditos; quippe divinam legem aliam, & v. g. de obediendo magiſtratui, æque impunè violari, hoc ipſo ſatis innuit, adeoque mali à Deo immittendi formidinem ex ipſorum animis tollendo, majore obligatione eosdem quaſi liberat. Non dicam, quod talis magiſtratus juſtam bonorum omnium incurrat indignationem, & quòd reliquæ ejusdem leges & facta ſuſpecta maximè reddantur. Unde *Clapm.* omnia arcana conſilia à pietate & cultu divino ſuperari

aſſerit,

aſſerit. *l.4.c.26.& l.5.c.21.l.6.c.4.ſeqq.* Et juri divino omnia alia cedere debere, etiam ob calumnias damnatus ſcriptor *Hippol. à Lapid. in ſuo d rat. ſtat. tract. in proleg. ſect.*4. verbis ſaltem pluribus fatetur. Denique religionem rerum omnium publicarum firmiſſimum fundamentum eſſe, ab eaque ſubditorum fidem in principes, obedientiam erga magiſtratus, pietatem in parentes, caritatem in ſingulos, juſtitiam in omnes pendere, *Polyb. ipſe atheus* confiteri cogitur, referente *Bodino l.4 de repub. c. ult.*

Th. IV. Quæ jam dicta ſunt, eò pertinere conſtat, divinis Legibus ſanctiones hominum non debere adverſari. Utrum verò ſumma civilis poteſtas divini juris præceptis omnibus debeat adſiſtere, nec ullum indefenſum relinquere? alia eſt quæſtio. Ad quam breviter Reſp. ſi ex eo, quòd vis civilis legis præcepto divino uni vel alteri tributa, majora in rempub. incommoda redundatura videantur, divino tribunali illud relinqui poſſe. *Pufend. Elem. jur. l.1. Def.13.§.7.& §.18.* Imò debere quædam ſubditorum conſcientiis committi, nec poſſe omnibus civilem neceſſitatem addi, ſatis probant ea, quæ dicit *D. Gerhard. d. l. th.*198. *add. Puf. lib.2. obſerv.1.§.2.* Porrò quæritur, An interdum magiſtratus ſubditum divinæ legi contravenientem audire, ipſiusque petitis poſſit annuere? Hoc tametſi durum dictu videatur, tamen quò minus ſimpliciter negari poſſit, faciunt ipſa in ſacris literis quæ extant exempla *Deut.23.v.19.junct. Pſalm.15.v.5. Ezech.18.v.17. Deut.24 v.1. junct. Malach.2.v.14. Matth.19.v.8. & ſim.* (ut quidem de illis optimi Theologi ſentiunt) quæ ſine dubio cum effectu judiciali ſunt intelligenda. *add. 1.Corinth.6.v.7.* Scilicet non probat iſta magiſtratus, propriè loquendo, ſed ægrè ſaltem permittit. *vid. D.Chemn. d.l. d. Leg. Dei. c.4. d. Diviſ. Leg. it. d.Paupert. c.6. d. Vſur.* Facere hùc etiam poſſunt ex parte ea, quæ diſſerit *Hug.Grot. lib.1. d. j. b. & pac. c.4. §.7. in princ.* Et omninò interdum non poteſt non hoc fieri, ſic v. g. ſi quis vim inferenti det rem aliquam, vel remittat debitum, juramento ſimul præſtito, quod nolit repetere, poſteà verò ſuper hac re magiſtratum adeat; quo

caſu quamcunque judex viam inierit, injuſtus victor erit, ſaltem unico reſpectu. Idem ferè ex cit. S. Pauli loco deduci poteſt. Iſta tamen tanquam odioſa ſtrictiſſimè habenda ſunt, & maximè cavendum, ne tale quid concedatur, citra neceſſitatis caſum, aut etiam permittantur, quæ nullo modo permittenda ſunt.

Th. V. Legem forenſem licet tanquam certæ reipub. accommodatam, una cum Judæorum politia ſublatam, adeoque ad nos non pertinere aſſerant communiter Theologi pariter atque Politici, *D. Chemn. loc. d. Leg. Dei. c. 5. d. abrogat. leg. D. Gerhard. loc. d. Magiſtr. Polit. th. 219. D. Dannhavv. d. Phanom. VI. p. 469. ſeq. Hutt. Comp. Theol. loc. d. Leg. Dei. quæſt. 5. & ibi in not. D. Salomon. Claß. it. Cundis. Diet. Inſtit. Cathec. loc. d. Decal. quæſt. 11. Schönb. l. 3 polit. c. 1. Vallenſ. parat. Extra. præm. §. 4. n. 6. Grot. d. j. b. & p. l. 1. c. 2. §. 7. Vinn. ad §. 5. Inſt. d. oblig. quæ ex delict. n. 4.* tamen interdum ſequi eandem, tutius videri, non immeritò quis dixerit cum Bachovio *ad Treutl. 2. D. 30. th. 3. lit. G. maximè à verb. Ego ſicut temere. pag. (mihi) 535. in fin. ſeq. add. Libenth. Colleg. Polit. Exerc. quæſt.*

Th. VI. Moralis lex ſicuti immota vivendi regula, *D. Salom. Claß. in not. ad Compend. Hutt. loc. d. Leg. Dei. ad quæſt. 6.* Ita Ceremonialem abrogatam eſſe, certum eſt. *vid. DD. th. præced. cit.* Summi verò Magiſtratus circa ſacra an & quæ in univerſum ſit poteſtas, quidque illi hac in re incumbat, hîc definire non placet. *vid. D. Gerh. d. l. th. 156. add. Clapm. l. 3. c. 7. Lampad. d. Repub. Rom. Germ. part. 1. n. 15. ſeq. & part. 3. c. 11. & 12. Dn.* von Seckendorff in Teutſcher Fürſten Stat. *part. 2. c. 11. & duob. ſeq.*

Th. VII. Ut autem ad alterum hujus capitis membrum accedam, atque oſtendam, jus noſtrum, pro fonte & regula divinum habere, certè in multis cum eo convenire, in genere moneo I. circa LL. Romanorum, illarum primas, nempe XII tab., quæ ceterarum quaſi fons, & ex quibus Imp. Juſtinian. ſubinde conſtitutiones ſuas derivat, abrogans ultrò leges aliorum Principum vel JCtorum reſponſa, quibus legi huic derogarunt, *l. 2. ff. d. O. I. §. 4. ſeq. ad §. 12. Iacob. Gothof. Hiſt. Iur. Rom. c. 2. Cunrad. Rittersh. comment. ad LL. XII. tab. præfat. & proleg. c. 3.* à Græcis eſſe. *l. 2. d. O. I. §. 4. & cit. Aut.*

quos

quos ab Ebræis quaſi de manu in manus leges ſuas accepiſſe, aliqui deducunt. *vid. Selden. d. I.N.G. & C. ſec. diſc. Ebraor. & alios, quos laudat Dn. Struv. S.I.C. Exerc. 1. th. 63. princ.* Et à ſacro ſive divino jure, atque adeo à capitibus ipſis fidei catholicæ ſive orthodoxæ, initium ducere Juſtinianum in Codice ſuo (aliter atque Codicis Theodoſiani conditores) cuivis inſpicienti patet. Idem Juſtinian. etiam in Novell. aliquot de Jure Sacro agit. Jus Canonicum, quod ad jura Imperii noſtri communia refertur, *D. Struv. S.I.C. Exerc. 2. th. 38.* certè in quibusdam materiis civili, nec immeritò, præfertur, *quas vide ap. Rittersh. d. diffr. I. Civil. & Can. præm. circ. fin.* ſacram ſcripturam, conciliorum Decreta, SS. Patrum ſcripta paſſim allegat, religionem, conſcientiam (verè an falsò ſæpius, nunc non dicam) ubique prætendit. *vid. Vallenſ. paratit. Extra. præm. §. 7. n. 3. ſeq. & §. 9. n. 1. & 6.* In Corpore Juris Noviſſimi integræ quoque conſtitutiones de Chriſtiana religione habentur.

Th. VIII. In ſpecie de Scriptura Sacra (ut ab illa initium faciam) quæ tanquam fidei ac vitæ norma nobis proponitur, adeoque aſſidua ipſius lectio & conſideratio injungitur *Deut. 6. v. 6. ſeq. 2. Petr. 1. v. 19. 2. Timoth. 3. v. 15. ſeq.* eſt *in Nov. Iuſtin. 133. c. 2. Nov. 146. pr. c. 1. & c. 3.* in quibus locis (ut alia præteream) an, quo fine, quo modo, denique qua lingua legendæ ſint ſacræ literæ, ſatis explicatur. *add. Rittersh. Method. Novell. expl. part. 1. c. 1.* In Jure Canonico de ſacris literis *vid. e.g. c. 1. c. 8. c. 9. Diſt. 38. can. 8. Diſt. 9. c. 2. Diſt. 10.* Jura Noviſſima in cauſis religionis ubique ad divinas literas provocant, & earum verba allegant. *e. g. vid. Declar. Imper. Anno 1548.*

De Deo uno & Trino extat *integer tit. 1. lib. 1. Cod.* maximè verò *vid. l. 5. & tres ll. ſeq. d. t.*

De perſona & officio Chriſti *vid. eund. tit. 1. lib. 1. Cod. add. Edict. Iuſtiniani, quod extat in edit. Novell. Iulian. p. 208. ſeq.*

De Creatione ſecundum ductum ſacrarum literarum, vid.

vid. Nov. 146. c. 2. l. 5. §. 1. l. 6. §. 1. C. d. ſumm. Trinit. in verb. ex quo omnia & per quem omnia. Conſt. d. concept. ff. ad Tribon. in pr. Nov. 140. in pr. & c. 1. in fin.

Angelorum mentio fit *Nov. 146. c. 2. Nov. 8. in jurejur. ibi ſubject. Nov. 132. Nov. 133. c. 5.*

Providentiæ Dei, *Conſtit. d. concept. ff. ad Tribon. in pr. & fin. conſtit. d. confirm. ff. ad Senat. & omn. pop. in pr. §. 1. §. 23. in fin. conſt. d. confirm. ff. ad Magn. Senat. in pr. & fin. tit. 27. lib. 1. Cod. in pr. & in l. 2. in pr. Nov. 80. c. 3. & Nov. 81. in pr.*

Peccati, *in Nov. 141. per tot. Nov. 133. c. 5.*

Legis & Evangelii, Pœnitentiæ & Confeſſionis, *in Nov. 77. Nov. 141. per tot. Nov. 133. c. 5.*

Bonis operibus annumeranda cura pauperum & miſerabilium perſonarum, *de qua in tit. Cod. d. Epiſcop. & Cler. & Orphanotr.* ubi Silentio involvi non debet, quod hæc Optima Argentinenſis Reſpub. tantâ propter hanc miſerabilium curam, & merito ſuo, in laude apud bonos omnes ſit, ut à Theologo-Politicis, etiam qui noſtræ religionis non ſunt, aliis rebuspub. exemplar quaſi conſtituatur, *vid. Kek. Syſt. pol. lib. 1. c. 14. in fin*

Ad miniſterium Eccleſiaſticum pertinent *tit. C. d. Epiſcop. & Cleric. maximè. l. 31. c. 10. Extr. d. Pœnit. & Remiſſ. can mulier. 20. d. conſecrat. Diſt. 4.* it. textus, in quibus de lingua, qua utendum ſit in lectione & adminiſtratione ſacra, agitur, *np. Nov. 146. in pr. & c. 1. Nov. 137. c. ult. citatô in hanc rem S. Paulô.*

Eccleſiæ fit mentio *Nov. 132.*

Sacramentorum, tùm in genere *Nov. 58. Nov. 131. c. 8.* tùm in ſpecie

Baptiſmi *tit. C. Ne ſanct. baptiſm. Nov. 137. in pr. & c. ult. l. 10. C. d. pagan & ſacrif. & templ.*

Cœnæ Domini *Nov. 137. in pr. & c. ult.*

Invocationis *Nov. 133. c. 5. circ. fin.*

Matrimonium moribus noſtris, convenienter juri divino,

vino, ut noſtræ tenent Eccleſiæ, vivis conjugibus, omnimodò non ſolvitur, niſi ob violatam fidem conjugalem, per adulterium vel ſimile delictum, aut per malitioſam deſertionem. *Colleg. Argent. ad tit. ff. d. divort. & repud. th. 7. & duab. ſeq. Struv. S. I. C. Ex. 30. th. 41.*

Reſurrectionis mortuorum, Extremi judicii, Inferni, vitæ æternæ mentio injicitur *Nov. 146. c. 2. Nov. 8. in fin. Nov. 141. Nov. 77.* His adde ex Jure Noviſs. conſtitutiones de religione agentes, ubi etiam de prædictis omnibus, *e. g. vid. d. Declar. Imp.* In Jure Canonico adi *tit. Extr. d. Summ. Trinit. & eundem tit. in VI.* & plura loca alia.

Th. IX. Circa citatos textus monendum, eos eatenus hîc laudari, quatenus ſeni intentionem meam probant, & ideò hûc pertinent; quatenus verò vel qua parte ſacris literis & religioni noſtræ adverſantur, eosdem meos non faciam. Omnia namque hîc aut illîc tradita, vel quæ alicubi in Imperio noſtro uſu ſervantur, divinis literis conſentanea dicere, poſt nihil habenda vetat pietas.

CAPUT III.

De natura rationali, ac jure naturali, ſecundo LL., & in ſpecie noſtrarum fonte ac regula.

Th. I.

Dari aliquod naturæ jus, & quidem homini proprium, quod Diviſiones admittat, & ſimilibus, *de quibus Hug. Grot. proleg. & lib. 1. c. 1. & paſſim in opere ſuo d. j. b. & p. Frider. Horn. in tract. d. ſubject. jur. nat. & alii*, tanquam certis præſuppoſitis; quæ verò curiosè nimis à quibusdam circa hanc materiam quæruntur (*vid. Puſend. Elem. juriſp. l. 1. D. 2.*) prætermiſſis, hîc primo loco, ad explicandum quodammodo capitis inſcriptionem, quæritur, quodnam ſeu fundamentum ſeu ſcaturigo quaſi ſit ipſius juris naturalis? Circa quam quæſtionem, aliquam multas DD. ſententias recenſet *Samuel Puſend.*

d. Elem. jur. lib. 1. *Def.* 13. §. 14. ibique refutatis ceteris, cum *Hugone Grot. d. tr. lib.* 1. *c.* 1. §. 10. naturam rationalem, eam eſſe aſſerit. Cui ſententiæ & nos ſubſcribimus. Quòd verò idem (*Puſend.*) *ibidem* ulterius in rem inquirens unicum illud fundamentum convenientiæ & diſconvenientiæ actuum cum natura rationali, conſtituit, quod homo à creatore factus ſit animal ſociale; id rei ſatisfacere non videtur. Peccata enim contra jus naturæ, & ideò contra naturam rationalem committuntur, quæ tamen ex dicto fundamento non demonſtraveris. *vid. D. Chemn. loc. d. Leg. Dei, cap.* 9. *d. L. nat. Ipſe Puſend. lib.* 1. *Def.* 12. §. 1.

Th. II. Nunc de duobus, de quibus & in præced cap., videbimus. Et quidem quod ad primum attinet, ſc. quòd natura rationalis, & lex, quæ huic convenienter agere injungit, in LL. ab hominibus ferendis, pro fonte ac regula haberi debeant, inde facilè probatur, quòd divina voluntate ita ſint, ſine cujus offenſione proinde iſtis adverſum fieri nil poſſit. Nimirum Deus Opt. Max. libertima voluntate ſua hominem creans talem ei dedit naturam, cui hoc & illud neceſſariò congrueret, quod & homini ratio dictitaret. Unde quamvis reliquerit eidem potentiam tendendi in contrarium, tamen non potuit non voluiſſe atque adhuc velle, convenientes naturæ tali modo formatæ edi à creatura actiones. Ut ita libertas hominis ſive potentia ad contraria obſequium pro fine habeat, & præmia, & creatoris gloriam, neutiquam verè abuſum. Et igitur quia Deus hujus naturæ & dictaminis ad naturam directi autor atque cauſa eſt, iſtius modi dictamen ſanæ rationis, lex divina non ineptè dicitur. Ex quibus porrò ſequitur, quòd, ſicut divinæ legi ſtrictè ita dictæ contravenire nemo debet, ita nec naturali dictamini adverſari permiſſum, & quibus malis illam non ſervans afficiendus, eadem hujus quoque legis violatori metuenda ſint. Unde non magis, imò minus hîc, quàm illîc, Principum præcepta, quæ naturali juri ſunt adverſa, valere quicquam poſſe, firmiter concluditur. *vid. th.* 3. *præc. cap.* Deinde ſi lex civilis civis actionem dirigat, apta ſit neceſsè, quæ normæ moralis vicem valeat ſubire, ſive inter legem tanquam dirigens, & hominis dirigendi naturam & conditionem, ali-

qua

qua ſaltem convenientia requiritur. Quia verò hominis natura, hactenus quidem, immmutabilis, lex illi, non contrà, accommodari poteſt. Conſequenter, in legislatione, ni nihil actum ſit, (ſupponimus verò reipub. conſervationem) hominis conditio non poteſt non, ſaltem quadantenus, attendi.

Th. III. Quod autem magiſtratus præcepta juris naturæ omnia præcisè civili lege ac pœna munire debeat, exinde non infero. *vid. quæ dicta præced. cap. th.* 4. Sicut nec illud, quod ſemper cujusque privati conditio ſimpliciter in ferendis LL. attendenda ſit, aut attendi poſſit, hinc probatum eo, quia publicis privata cedere teneantur, & magis quod omnibus, pluribus, aut multis, quàm quod uni vel paucis convenit ac prodeſt, adſpici oportet. Et propterea ſæpè unum alteri cedere videmus, ſic (*verba ſunt Clapm. lib. 5. d. arcan. rerumpub. c.* 1. *in fin.*) jus naturæ corrigitur à jure gentium, jus gentium à jure militari, jus militare à jure legationis. Et ſic deinceps. Nimirum tali caſu æquitas privata, reſpectu publici, non videtur æquitas, imò idem, ut ſibi ſit conſultum, ſæpè damnum patitur; Sic ſalutis cauſa mercium in mare fit jactura.

Th. IV. Jam ut probem (quod alterum hujus capitis membrum eſt) LL. noſtras ad humanam conditionem atque jus naturæ, tanquam fontem ac regulam immediatè reſpicere, in genere dico, primò, quod in Inſtitutionibus JurisCivilis, itemque Digeſtis præmittatur tractatio juris naturalis, tanquam fontis alicujus LL. Civilium. Deinde, quòd doctiſſimorum virorum judicio, LL. Roman. ex Jure naturæ ita ſint deductæ, & tanta JCtorum veterum ſapientia & æquitas ex ipſa quaſi natura juſtitiæ expreſſa, ut ex ipſorum ſcriptis etiam divina moralis (quæ ſc. naturalis) lex, maximè quoad ſecundam tabulam, aliquid lucis fœnerari & accipere poſſit. *Cunrad. Rittersh. in comment. ad l.* 23. *d. R. I. præfat. vid. etiam Aut. Collat. LL. Moyſ. cum Rom.* Et ubique tanquam autores aut teſtes laudantur veteres JCti ab illis, qui de jure naturæ ſcripſerunt. Denique de Novellis Juſtiniani DD. aſſerunt, quod pleraque omnia in illis ad naturalem æquitatem, remotâ nimiâ, quæ ſupereſſe videbatur, ſubtilitate juris, revocare Imperator ſtuduerit. *Cunrad. Rittersh. Method. Expoſ. Novell. præm. c.* 5. *n.* 4. Quibus de cauſis

jus

jus civile Romanorum quaſi gentium quoddam jus commune apud totam ferè Europam obſervari, imò ad hujus juris normam dirigi interpretationem quarumcunque conſtitutionum ac conſuetudinum, quæ illi manifeſtò non repugnant; ac tametſi repugnent, tamen in ambigua facti ſpecie, ejusdem æquitate mitigari, & ita coerceri, ut commune hoc jus quàm minimum lædant, *ex Tuldeno & Gailio* tradit *Vinn. ad* §. 2. *Inſt. d.I.n. g. & Civ. n.* 1. *D. Struv. S.I. C. Exerc.* 2. *th.* 36. Scriptores etiam, qui ex omni penè natione idem jus cum reipub. ſuæ LL. compararunt *vid. ap. Beier. in Colleg. ad Synopſ. Inſt. Schulz. ad tit. d. j. nat. gent. & Civ.* De Juris Canonici itemq; Noviſſimi convenientia cum jure naturali, quæ in multis ſe oſtendit, in genere præfari quæ poſſem plura, inſtituti ratio & alia impediunt.

Th. V. In ſpecie (ut proferam exempla,) ſicut varia hominum conditio, alia communis, alia non, & præcepta juris naturæ alia ſunt principia, alia concluſiones, quarum quædam clarius, quædam obſcurius ex principiis deducuntur; aliæ iisdem propius, aliæ longius abſunt; alia abſoluta, quæ quosvis homines in quovis ſtatu obligant, alia hypothetica, quæ certum ſtatum aut actum præſupponunt; Ita primo loco ex Corpore LL. Civilium in medium proferri debent, ſi non principia, primæ tamen concluſiones, & clara, generalia, & abſoluta illa juris naturæ præcepta, quæ laudantur *l.* 2. *in pr. l.* 10. *ff. d. Juſt. & Jur.* §. 3. *Inſt. eod.* quibus totum hominis officium erga Deum & proximum virtualiter continetur. Hæc præcepta, maximè tria illa, quæ *in d. l.* 10. *& d.* §. 3. referuntur, poſtmodum paſſim applicantur, determinantur, informantur, pœna denique civili muniuntur. Et ſi cum quibusdam dixero, primum ex tribus hiſce eſſe generale, notans omnia, quæ lædunt Deum aut proximum, ſolum erit ſufficiens, & nullibi non in LL. noſtris locum inveniet. Sin cum Bach. *comment. ad d. t. ff. p.* 79. illud concupiſcentivam facultatem regere aſſeram, pertinent ad illud tit. & text. de matrimonio legitimè contrahendo, inviolabiliter conſervando, de evitando adulterio, ſtupro. &c. Si ſecundum (craſsè ita accipiens) referam ad perſonam alterius,

illud

illud pro fonte agnoſcunt tituli & textus defendentes aliorum vitam, incolumitatem, libertatem, exiſtimationem, quorum penè multi ſunt in utroque juris corpore, & quos recenſere chartæ huic exercitio deſtinatæ prohibet anguſtia. Si tertium ad res ſtrictè dictas refero, ad illud reſpiciunt tituli agentes de pactis, contractibus, acquiſitione & translatione dominii, furto, rapina, damno rebus alienis dato injuriâ, &c.

Th. VI. Fœminei ſexus infirmitatem, pudorem & diverſam à mare conditionem conſiderant e. g. (1.) in genere loquentes aut plura ſimul comprehendentes *l.9.ff.d.ſtat.hom.l.2.ff.d.R.I.c.33 quæſt.5.can.17.* (2.) quæ adoptare prohibent. *§.10. Inſt. d. adopt. l.5.C eod.* (3.) quæ nec intervenire pro aliis *l. 1. & tot. tit. ff. & C. ad SCt. Vellejan.* nec conſentire marito pignorare vel alienare fundum dotalem volenti mulieribus concedunt. *pr.Inſt. quib. alien. lic. vel non. l.un. §.15. verſ. cum autem. C. d. rei uxor. action.* (4.) quæ jura ignorare iis permittunt. *l. 9. in pr. ff. d. jur. & fact. ign. l. ult. C. eod.* (5.) quæ citius nubere concedunt, itemque à tutela liberant *pr. Inſt. d. nupt. junct. pr. Inſt. quib. mod. tutel. fin.* (6.) quæ tutrices eſſe vix uni aut alteri permittunt. *l. ult. ff. d. tut. Nov. 118. c. 5.* quæ mulieres teſtamento tutores dare liberis ſuis heredibus non inſtitutis, denique datos, citra inquiſitionem à magiſtratu confirmari nolunt. *l. 4. ff de teſtam. tutel. l. 1. C. d. confirm. tut.* (7.) quæ teſtimonium earum rejiciunt ſive in teſtamentis *§. 6. Inſt. d. teſtam. ordin. l. 20. §. 6. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* ſive in cauſis feudalibus *2 Feud 32. in fin.* ſive in criminalibus Jure Canonico, *c. 10. in fin. Extra d. V. S. c. 33. quæſt. 5. can. mulierem. 17. Colleg. Argent. tit. d. teſtib. th. 6 n. 7. Rittersh. d. differ. Jur. Civ. & Can. lib. 5. c. 21.* (8.) quæ iis non accuſare niſi certis caſibus permittunt. *l. 1. l. 2. pr. l. 8. ff. d. accuſat. c. 15. quæſt. 3. Can. 2. Can. 3. in pr. Colleg. Argent. ad d. tit. ff. d. accuſ. th. 4. n. 8. & th. 5. n. 1.* (9.) quæ feuda regulariter ipſis denegant. *2. Feud. 2. §. fin. 2. Feud. 11. 2. Feud. 50.* Et ſic in aliis quoque LL. differentiam inter mares & fœminas, conditionis eorum ratione habita conſtituunt.

In utero materno exiſtentium rationem habent

v. g. *l.* 3. *ff. d. pœn. l.* 18. *ff. d. ſtat. hom. l.* 2. *ff. d. mort. inferend.*

Infantis conditionem conſiderant e. g. (1.) quæ nec ſtipulari illi permittunt §. 9. *Inſt. d. Inutilib. ſtipul. l.* 1. §. 13. *ff. d. obligat. & action. l.* 70. *ff. d. Verb. Obligat. l.* 6. *ff. rem pupill. ſalv. for.* nec conſtituere Procuratorem. §. 6. *Inſt. d. Curat. l.* 24. *ff. d. adminiſtr. tut. junct. l.* 11. *C. d. Procurat.* nec ſtare in judicio. *l.* 1. §. 2. *ff. d. adminiſtr. & peric. tut.* (2.) quæ ſponſalia celebrare prohibent. *l.* 14. *d. ſponſ. c.* 4. *c.* 5. *c.* 13. *Extr. d. deſponſat. impub.* (3.) quæ delicta ejus attendi in judicio poſſe negant. *l.* 5. §. 2. *verſ. ſed & ſi infans. ff. ad L. Aquil. l.* 23. *ff. d. Furt. l.* 12. *ff. ad L. Cornel. Clem. unic. d. Homicid.*

Impuberis e. g. (1.) quæ de tutela ejus agunt (*vid.* §. 6. *Inſt. d. Attilian. tut.*) *tit.* 13. *cum multis ſeq. ad fin. ferè lib.* 1. *Inſt. multi tit. & texx. ex lib. ff.* 26. *&* 27. *lib.* 5. *Cod. tit.* 28. *& ſeq. ad fin. ferè libr. Nov.* 22. *c.* 40. *Nov.* 72. *Nov.* 94. *Nov.* 118. *c.* 5 *Nov.* 123. *c.* 5. *Nov.* 155. *cauſ.* 12. *quæſt.* 1. *can. omnis. Ordin. Polit. d. Anno* 1548. *tit.* Von der Pupillen und minderjährigen Kindern Tutorn und Vormündern. *Ordin. Polit. Anno* 1577. *eod. tit.* (2.) nuptias ejus prohibent. *princ. Inſt. d. nupt. l.* 32. §. 27. *d. donat. inter vir. & uxor. l.* 4. *ff. d. rit. nupt. c.* 2. *Extr. d. deſponſat. impub.* (3.) quæ ipſi teſtamentũ facere non permittunt. §. 1. *Inſt. quib. non eſt permiß. fac. teſt. l.* 5. *ff. qui teſtam. fac. l.* 4. *C. eod. vid. & tit. Inſt. d. pupill. ſubſtit. cum ſimilib. ff. & C.* (4.) quæ eum teſtem non admittunt, ſive in teſtamentis, §. 6. *Inſt. d. teſt. ordin. l.* 20. *pr. ff qui teſtam. fac. poß. Conſt. Maxim. d. Anno* 1512. *tit.* Von Teſtamenten. §. die Forme. ſeu in judio. *l.* 3. §. 5. *ff. d. teſtib. c.* 4. *quæſt.* 2. *can.* 1. *can.* 3. §. *item is.* (5.) quæ in delictis impuberum diſtinguunt. §. 18. *Inſt. d. obligat. quæ ex delict. junct. l.* 36. *ad L. Iul. d. adult. Vinn. ad d.* §. 18 (6.) quæ judices conſtitui impuberes dedignantur. *l.* 12. §. 2 *ff. d. judic. & ubi quisque.*

Minorum e. g. (1.) quæ de cura eorum agunt *tit.* 23. *ſeq. lib.* 1. *Inſtit. vid. etiam lib.* 26. *&* 27. *ff. lib.* 5. *Cod. tit.* 34. *& ſeqq. ad fin. libr.* (2.) quæ ſententias ab iis latas indiſtinctè non probant *l.* 57. *ff. d. re jud.* (3.) quæ tractant reſtitutionem eorum in integrum. *tit.* 4. *lib.* 4. *ff. lib.* 2. *Cod. tit.* 22. *cum multis*

ſeq.

ſeq. (4.) quæ mitiorem in delictis pœnam iis interdum infligendam eſſe cenſent. *l.37 §.1. ff. d. minorib.* (5.) quæ teſtes 20. annis minores in criminali judicio eſſe poſſe negant. *l.20. ff. d. teſtib.* Sic rationem quoque habent jura noſtra

Senilis ætatis v.g. *§ 13. Inſt. d. Excuſ. tut. vel curat. l.3. l.5. pr. ff. d. jur. immunit. l. 11. ff. d. Decurion. l. 8. ff. d. teſtib. l.2. ff. d. termin. mot l. 3. §. 7. ff. d. SCt. Sillan.*

Furioſorum & mente captorum *l. 5. ff. d. R. I. §. 1. Inſt. quib. non eſt permiß fac. teſt. § 3. Inſt. d. Curat. l. 3. §. 11. d. SCt. Sillan. l.9. § 2. ff. d. L. Pomp. d. parricid. l.12. ff. ad L. Cornel. d. Sicar.*

Surdorum Mutorum, *§.3. Inſt. quib. non eſt permiß. fac. l. 3 § 8. § 10. ff. d. SCt. Sillan.*

Cœci, *§. 4. Inſt. quib. non eſt permiß. fac. teſt. l. 8. C. qui teſtam. fac. poß. l. 3. §. 9. ff. d. SCt. Sillan.*

Debilium *l. 8. ff. d. teſtib. §. 7. Inſt. d. Excuſ. tut. vel curat. § 4. Inſt. d Curat. l. 60. ff. de re judicat. l. 3. ff. d. SCt. Sillan.*

Mariti, uxoris *l.4. ff. d. teſtib. §. 37. Inſt. d. action. l. 14. §. 1. l. 22. § 8 ff ſolut. matrim. l. 12 in pr. & §. 1. Cod. qui potior. in pign. l. 18 ff. d. oper. libert. §. 2. Inſt. d. injur. l. 1 C. ad L. Iul. d. adult. l. 1 ff. d. L. Pomp. d. parric.*

Parentum, liberorum v. g. *l. 4. l. 5. ff. d. agnoſc. & alend. lib. tit. Cod. d. alend. lib. ac parent. §. 38. Inſt. d. action. l. 4. ff. d. teſtib. §. 1. Inſt. d. nupt. tit. ff. d. obſeq. parent. praſt. l. 16. §. 2. ff. d. pœn. §. 6. Inſt. d. publ. jud. tit. ff. d. L. Pompej. d. parric.* Et ſic conſequenter in aliis. Aſt omnia in utroque juris corpore, quæ vel ad communem hominum conditionem reſpiciunt, vel ad propriam quorundam, juri naturali exactè reſpondere, aſſerere non audeo.

CAPUT IV.

De natura & ratione Reipublicæ in genere, Tertio LL., & in ſpecie noſtrarum fonte ac regula.

Th. I. Hîc, quia rempub. & ejus conſervationem ſuppo-

ponimus, de eo, utrum LL. ad naturam & rationem reipub. in genere conſideratæ, accommodandæ ſint? quærere, planè ineptum foret. Partes verò conſiderare, atque quòd hoc, iſtud, illud, aliud neceſſarium in repub., probare, inſtituti noſtri ratio non patitur. *vid. Politici.* Hoc tamen dubium moveri poſſit, cùm omnia jura ſine dubio ſalutem reipub. intendant, Vtrum natura & ratio reipub. in genere peculiarem atque diſtinctum à ceteris legum fontem ac regulam conſtituat? Reſp. aliud omninò eſt, legem peti ex natura & ratione reipub. in ſe conſideratæ immediatè, de quo hîc ſermo; aliud, legem immediatè fluere v. g. ex forma hac vel illa reipub. accidentali, aut quid aliud reſpicere, quod poſtmodum ſaluti reipub. inſerviat. Deinde non nego, quòd reipub. immediatè adverſa, etiam contra jus divinum v. c. ſint, inde tamen non ſequitur, hæc diverſas Legum regulas conſtitui vel dici non debere.

Th. II. Exempla LL. hûc pertinentium (quod alterum eſt, de quo ſolliciti ſumus) referentes, initium faciamus ab eo, quod in repub. primum eſt ac ſummum, nempe Majeſtate, & ideò ſubjecto ejus immediato. Etenim quod præſtat caput in corpore humano, illud ſummus Magiſtratus in repub., ſi caput reipub. laborat (*dicit Clapm. l. 4. c. 1.*) omnia membra langueſcere ac confici oportet. Prima ergò & ſumma hujus erit aſſertio, atque defenſio. Pertinent verò hûc e.g. §. 3 *Inſt. d publ. jud. tit. ff. ad L. Iul. Majeſt. l. 5. ſeqq. C. eod. l. 1. ff. d. cadav. punit. A. B. tit. 24 vid. etiam Conſtit. Crim. art.* 124. *Ordin. Cam. part.* 2. *tit.* 9 *Conſt. Pac. publ.* 1548. *tit.* 4. An autem aliquando, & quatenus ſubditi reſiſtere ſummæ poteſtati poſſint, *vid. ap. Reink. d. Regim. Secul. & Eccleſ. lib.* 1. *claſſ. c Bodin. lib.* 2. *d. Repub. c.* 5. Neumeyr. *in tract.* Von auffſtand der Unterthanen wider die Obrigkeit. *Grot. d. j. b. & p. lib.* 1. *c.* 4.

Th. III. Legum, quæ à ſumma civili poteſtate neceſſariò feruntur, affectiones, nempe quòd generales ſint, item de his, quæ utplurimum accidunt, porrò certæ, firmæ, &c. agnoſci atque attendi à LL. noſtrarum latoribus, patet *ex præm.*

Inſt. & paßim ex Hiſtoria juris à Iuſtiniano compoſiti, in ſpecie ex l. 1. §. 7. l. 2. § 10. l. 3. § 10. C. d. V. I. E. junct. l. 1 ſeqq. tit. ff. d. LL. l. 1. & ſeq. C. eod. ... 2 ... d. Conſtit. Princ. tit. C d. Mand. Princ. it. d. SCt. & aliquot ſeqq. add tit. Extr. d. Conſt d. Reſcript. &c.

De miniſtris, quibus ſumma civilis poteſtas carere non poteſt, *vid. lib. 1 ff. tit. 9. ſeqq. & lib. 50 lib 1. Cod. tit. 26. ſeq. lib. XII. maximè à tit. 53. add titulis quibus delicta magiſtratuum notantur, v. g. d. L. Iul. repetund &c.*

De Societate conjugali & nativitate ſubditorum honeſta, (de cujus utilitate eſt in *Nov. 140. in pr.*) ſolliciti ſunt e. g. *lib. 1. Inſt. tit* 10. *lib.* 23 24 25. *ff. it. lib. 5 Cod. tit. 1. ſeq. ad 27 Nov. 12 Nov. 22. Nov. 39. c. 2. Nov. 89. c. ult. Nov. 117. Nov. 154. d. Nov. 140. & aliæ. add. tit. ff. & C ad L. Iul. d. adult. Crim. Conſt. art. 117. ſeq. tot. lib. 4. Extr.*

Parentum, liberorum atque educationis ſubditorum curam gerunt *lib. 1. Inſt. tit. 13. ſeq. lib. 25 ff. tit. 3. tot. lib. 26. & 27 lib. 37. tit. ult. lib 48. tit. 9 lib. 5 Cod. tit. 25. tit. 28. ſeq. lib. 8. tit. 47. add. quæ cap. præced. circa impuberum ac minorum tutelam & curam allegata ſunt.* Referri denique hûc poſſunt *lib. X. Cod. tit. 52. maximè l. 6 in fin. cum l. ſeq. lib. XI. tit. 18. & lib. XII. tit. 15.*

De dominis & ſervis ſed mancipiis multa ſunt in Jure Civili paſſim obvia. Quibus adde quæ de ſervis liberis hominibus noſtri temporis habentur *in Reform. Polit. Anno 1530. & Anno 1548. it. 1577. tit.* Von Reyſigen Knechten und Dienſtbotten. *& aliis Conſtit. Imperij.*

De Familia (remotis rebus & ſervis) conſiderata ſeu ut proprium corpus, cujus onum caput eſt (*vid. l. 195. §. 2. l. 196. ff. d. V. S.*) e. g. agitur *lib. 1. Inſt. tit. 9. maximè § 3. it. tit. 10 §. ult. tit. 11. tit. 12 it. lib. 2. tit. 13. pr. & aliquot §§. add. lib. 1. ff. tit. 6. l. 4. ſeqq. & tit. 7. it. lib. 8. Cod. tit. 47. ſeq.* Seu ut commune corpus plurium agnatorum inter ſe ſpectata, eſt in *lib. 1. Inſt. tit. 15. tit. 16. §. 3 §. 7. it. in lib. 3. tit. 2. in lib. 38. ff. tit. 9 maximè l. 2. pr. §. 1. l. 4. l. 5. §. 1. l. 6.* Imò de familia utriusque acceptionis

in iisdem tex., ob ſubordinationem, ſæpius ſimul agitur.

De Collegiis & corporibus ſubditorum, *vid. l. 1 ff. quod cujusq. univerſ. nom. it tit. ff. d. Colleg. & corporib. it. l. 5. §. 12. ff. d. jur. immunit. tit. Cod. d. piſtor. & ſimiles lib. XI. vid. etiam tit. Cod. d. Monopol. Ordin. Polit.* 1548. *tit.* Von den Handwercken in gemein. *Capitul. Inviƈtiß. Imper. noſtri Leopold. art.* 20.

Circa res, ſc. quæ, qua ratione poſſint aut debeant à ſubditis acquiri, tractari, transferri, &c. & de illis, quæ hiſce omnibus inſerviunt, maxima LL. noſtrarum pars occupata eſt, quod vel ex Inſtit. patet.

Judicii, & illorum, quæ eò referri poſſunt, non minor juris noſtri cura eſt, & de eo multis agitur *in Inſt., Pand., Cod., Novell., Conſtit. Imp., Extra, &c.*

De morte & ſepultura ſubditorum, eſt in *lib.* 11. *ff. tit.* 7. *tit.* 8. *& lib.* 3. *Cod. tit.* 44. *in lib.* 3. *Extr. tit.* 28. *add. tit. ff. & C. d. ſepulcr. violat.*

De Fiſco, qui neceſſarius in repub. vid. e. g. *tit.* 14. *lib* 49 *ff. it. lib. X. Cod. tit.* 1. *cum multis ſeqq.*

Rem militarem denique tractant *tit.* 16. 17. 18. *lib.* 49. *ff. & lib. XII. Cod. tit.* 34. *ſeqq. ad tit.* 48.

Et ſic deinceps ad cetera, quæ in repub. neceſſaria, LL. noſtræ curam ſuam extendunt, quod politicâ prudentiâ inſtructus facilè deprehendet. Hæc omnia verò hîc præcisè intelligenda ſunt, remotis iis, quæ à forma fortè accidentali, aut aliunde habent.

Th. IV. In fine hujus capitis monere viſum fuit, in LL. & rempub. graviter peccare eos, qui tot in jure citra neceſſitatem diſtinctiones comminiſcuntur. Etenim ea ratione Leges fiunt infinitæ, incertiſſimæ, omni denique autoritate deſtituuntur, quando Cajus & Sejus & condere & abrogare (quod, ſi tot diſtinctiones ſine cauſa adhibentur, fieri neceſsè eſt) jura poſſunt; lites inde augentur, fiunt immortales, & quæ minima ſæpe æquitas prætenditur, præterquam quòd utplurimum nulla eſt, ſi rem accuratè conſideres, æquitas dici non poteſt, ſi

conferatur cum incommodis, quæ inde in rempub. redundant. Denique hoc ipſo, quòd cerebrina privatorum æquitas eſt, tanquam iniquitas rejicienda venit. Exempla quæ paſſim in ſcriptis interpretum obvia ſunt, ceu odioſa jam omitto, *vid. ſaltem Carpz. in Synopſ. Iur. Feudal.* qui ubique ferè in deciſionibus feudalium controverſiarum diſtinctiones DD rejicit, dicendo: ſed textus generaliter loquitur

CAPUT V.

De forma Reipublicæ accidentali, Qvarto LL, & in ſpecie noſtrarum fonte ac regula.

Th. I.

TAmetſi ultimus rerumpubl. omnium finis unicus & idem eſt; certè eſſe debet, tamen in intermediis, & qui intuitu ſupremi mediorum rationem obtinent, neutiquam conveniunt. Cauſas hujus rei inquirere vel aſſignare non eſt inſtituti noſtri. De eo certè ſatis conſtat, quod non omnibus omnia conveniant, *add. Bodin. lib. 5. d Repub. c. 1.* Sic ingenia alia Democratia delectantur, alia Ariſtocratia ſunt contenta, alia à Monarcha rectius reguntur, mixtam denique alia, & vel ſic, vel aliter, formam reipub. efflagitant. Sed quæcunque tandem placuit aut placere debuit, ea (de rectis nobis maximè ſermo eſt) non poteſt, nec debet facilè mutari, id quod tamen pluribus (paucis verò non poteſt) demonſtrare non eſt animus. *vid. Politici.*

Th. II. Hiſce præſuppoſitis, nempe quòd hæc, iſta, illa ratio regendi (propria videlicet, quæ non fit mediatè) hîc aut illîc, tanquam medium ad obtinendum finem rebuspub. omnibus communem, neceſſariò requiratur, facilè infero, eandem, dum feruntur LL., omninò attentendam, ſive Leges ad formam reipubl., non contrà, accommodandas eſſe, ut *cum Ariſt. Cellar. Polit. c. 8. §. 27.* loquitur. Quantum verò formæ, ex quibus quaſi fluunt leges, & quarum incolumitatem pro fine, quam-

quamvis non ultimo, habent, ſibi ſunt invicem oppoſitæ; tantum & Leges earum diſſentire certum eſt. *vid. Bodin. lib. 2. d. repub. c. 1 p.* (*mihi*) 274 Sic quia Monarchia, ubi unius poteſtas, & Popularis Status, ubi communis libertas maximè attenditur, ſummè ſunt diſtantiæ; Ita Leges utriusque formæ, plurimum inter ſe neceſſè eſt pugnare, & quod illæ alunt, illud hæ penitus evertunt, & contrà. Utræque convenienter illi regulæ: Quodlibet intendit conſervationem ſui. *vid. Bod. lib. 4. d. repub. c.* 4. De reliquis, ſeu ſimplici, ſeu formis mixtis, ſit ſimile judicium. Inde illud Clapmarii *lib. 1. d. Arcan. rerumpub. c. 6.* In jurisprudentia aliud eſt juſtum ſimpliciter, aliud pro hac vel illa repub., hac vel illa gente. Nec mira hæc videri debent, cùm duo medicina, cibo & potu, quoad qualitates ſibi invicem maximè contrariis, uterque ad ſanitatem corporis ſeu conſervandam ſeu recuperandam ſæpiſſimè utantur.

Th. III. Ex Jure noſtro pauca quædam hujus rei exempla in medium nunc proferam, utrum verò ex directa & aperta, an ex obliqua atque arcana imperandi ratione venerint, hac vice non attendens.

In Jure Civili ad Democratiam pertinet I. Deſcriptio legis in §. 4. *Inſt. d. Iur. nat. gent. & civ. l. 1. in fin. l. 32. §. 1. ff. d. LL.* II. Pertinent quæ habentur *l. 2. § 4. cum multu ſeqq. ff. d. O. I. inprimu* §. 23. III. Hûc refero poteſtatem magiſtratibus quibusdam in jure privato condendo conceſſam, *vid.* §. 7. *Inſt. d. I. N. G. & C. l. 7. §. 1. ff d. Iuſt. & Iur.* quod facilius fortè in iſthoc ſtatu, quàm aliàs, admitti potuit. IV. Adrogationis nomen, deſumptum à modo illo, qui in ſtatu Democratico adhiberi ſolitus eſt, ſi homo ſui juris fuit adoptandus. *vid. Gell. 5. Noct. Att. c.* 19. V. L. Aquilia, certè reſpectu modi, quô lata, & quòd Tribuni Plebis nomine gaudet. *vid* § 15. *Inſt. d. L. Aquil. l. 1. §. 1. ff. eod.* pertinet hûc & L. Falcid., quæ itidem plebiscitum eſt. *ex Dion. Vinn. ad pr. Inſt. d. L. Falcid. n. 7. Colleg. Argent. ad h. t. ff. th. 5.* VI. §. 1. *Inſt. d. teſtam.* VII. *l. 1. ff. ad L. Iul. Majeſt. Bach. comment. prim. part. pand pag. 43 in fin.* VIII. *tit. ff. d. L. Iul. d. ambit. in pr. Cujac. parat. Cod. eod. Vinn. ad* §. 11. *Inſt. d. publ. judic.* His adde illas quas refert Clapm.

d. arcan.

d. arcan. rerumpub. lib. 3. c. 27. & 28. & lib. 4. c. 23. ſeqq.

Ad Monarchiam (præmiſſis iis, quæ de Auguſto *Tacit. 3. Annal. c. 28. cum, multis abolitis, dediſſe jura, queis pace & principe uteretur reſpub. Clapm. lib. 3. c. 24.*) referri debet I. Deſcriptio Legis ſeu Conſtitutionis, quæ habetur §. *6. Inſt. d. I. N. G. & C. l. 1. ff. d. Conſt. Princ.* it. pertinent *l. 1. l. ult. C. d. LL. l. 6. C. d. Diverſ. reſcript. Clapm. l. 4. c. 29. it. tit. C. d. Statuis & Imagin. cum tit. ſeq. d. iis, qui ad ſtatuas confug. vid. Iacob. Goth. in Ser. Cod. ibid. Dionyſ. Goth. in not.* II. LL. aliquot in *tit. ff. ad L. Iul. Maj. add. l. 13 §. ult. ff. d. jurejur. l. 41. C. d. transact. l. 2. C. d. Reb. Credit. & ibi Goth. in not. Clapm. lib. 4. c. 12. vid. etiam tit. Cod. Vt nemo privat. tit. præd. add. Clapm lib. 4. c. 9.* III. *tit. Cod. Vt nulli provinc. ſuæ. Iacob. Goth. in Ser. Cod. Cujac. parat. ibid tit. Cod. d. Conſulib. & non ſpargend. Clapm. lib. 4. c. 9.* IV. *tit. ff. d. Colleg. & corp. vid. Kek. Syſtem. Polit. lib. 1. c. 15. Clapm. l. 4. c. 13.* V. *l. 9. §. 1 ff. d. Diviſ. rer. Clapm. lib. 4. c. 7.* VI. *l. 1. C. quæ res venir. non poſſ. it. tit. 7. tit. 8. tit. 11. lib. XI. Cod. & ibi Iacob. Goth. in Ser. Clapm. d. lib. 4. c. 9.* VII. *tit. Cod. d. Privat. carc. Clapm. d. c. 9.* VIII. *l. 9. §. 4. d. Diviſ. rer. tit. Cod Vt arm. uſus inſc. princ. l. 14. C. d. Re milit. Clapm. lib. 4. c. 6.* Imò plures tit. *lib. XII Cod.* ad Monarchiam pertinere dicit Clapm. *vid. ipſius lib. 4. c. 4. c. 6. c. 9.* Inſpice & *lib. XI. Cod.* Hæc verò omnia ſanè debent intelligi, ut Monarchiam ſapiant.

In Jure Canonico multa quoque habentur ad ſummum ſacerdotium vel regnum Papale Eccleſiaſticum ſtabiliendum, & conſervandum (ut nihil dicam de altitudine vel ſublimitate, quam præ Imperatore & Regibus Papa ſibi tribuit, *c. 6. Extr. d. majorit. & obedient. c 10. Diſtinct. 96.*) inventa, quæ lubens jam prætereo.

In Corpore Juris Noviſſimi quæ ad præſentem Imperii noſtri ſtatum (qui ex Monarchia & Ariſtocratia mixtus communiter defenditur) directa ſunt, & ex illo quaſi fluxerunt, vid. e. g. *Ordin. Regim. Anno 1500. R. I. Aug. eod. Anno tit.* Von deß Reichs Regiments Macht und Gewalt. *Ordin. Regim. Anno 1521. R. I. Wormat. eod. Anno R. I. Anno 1524. Ordin. Cam. 1555.*

part. 1. tit. 1. ſeq. inprimis tit. 4. tit. 40. tit. 50. add. ſingulorum Imperij Receßuum Inſcript. & Subſcriptiones.

Th. IV. Ex dictis infertur, multas LL. in corpore Juris Civilis contentas, maximè quæ publicum immediatè reſpiciunt, in hoc noſtro Imperii ſtatu locum invenire non poſſe, nec proinde ad hoc aut illud probandum abſolutè rectè allegari. *Lampad. d. Repub. Rom. Germ. part. 3. c. 14. n. 21. Cellar. Polit. c. 1. §. 11. & c. 11. §. 4.*

CAPUT VI.

De rerum ſtrictè ſic dictarum natura & conditione, Qvinta LL., & in ſpecie noſtrarum regula.

Th. I.

VOcem rei hîc, ut in jure ſolet, ſumimus, quatenus perſonis opponitur. Varias verò atque diverſas eſſe rerum ſpecies, neminem latere poteſt; nec quiſquam ignorat, variè hominum eas inſervire uſibus, & vix ullam eſſe, quæ non aliquam utilitatem præbeat. Sed & contrà nemo neſcit, nihil rerum penitus eſſe ad omne idoneum, aut omnibus prodeſſe, ſed huic illam, illi aliam, unamquamque ſuo modo humanæ indigentiæ ſuccurrere, aliam aliâ plus, minus utilitatis continere. Et hæc quòd creatoris voluntate ita ſint, nullus, credo, dubitat. Unde conſequitur, quòd mutari ab homine non poſſint, nec res aliter intrinſecè formari. Indè porrò prono quaſi fluit alveo, quòd ſumma Civilis poteſtas norma morali ſeu lege ſubditorum actiones, aliter ac rerum patitur natura, dirigere, ſeu quæ per ipſarum naturam fieri non poſſunt, ſubditis injungere, & quæ contrà, vi illius fieri neceſsè eſt, non poſſit prohibere. Ideòque rerum naturâ atque conditione collatâ cum humana, & quæ premunt hominem, neceſſitatibus, ut quàm plurimùm proſint & hominum neceſſitates ſublevent res accommodari & applicari debent. Quò magis verò iſthæc certa ſunt & clara, eò minus plura ſaltem verba addere, & ſic amplificare hunc diſcurſum, inſtituto noſtro convenit.

Th. II.

Th. II. Ex dictis nemo colligat, quaſi juxta mentem noſtram, nullius rei uſus penitus lege prohiberi debeat, aut nequeat injungi, ut hæc vel illa res ſeu exportetur, ſeu planè vel in vicinum mare vel amnem projiciatur. Etenim ſi ratio temporis vel quid aliud id poſtulet, his & illis ſubditis omninò interdicendum eſt. Nec prodeſſe rectè dixeris, quòd multò magis nocere deprehenditur. Ut adeò potius contra rei naturam ſit, inde commodum hîc & nunc percipere. Deinde nec illud ex præcedenti theſi ſequitur, quòd ex quavis re, quod alibi melius videtur, aut etiam hîc majoris æſtimatur pretii, & v.g. ex quovis ligno ei rei idoneo, fieri (ut dicitur, quamvis alio ſenſu) debeat Mercurius, cujus fortè pauci futuri ſint emtores, vel quando tale lignum alii rei magis neceſſariæ adhiberi poſſit. Siquidem hæc omnia ex loci, temporis ratione, conditione perſonarum &c. æſtimanda ac decidenda veniunt.

Th. III. Ad exempla ut progrediar, conſtat I. quòd integri in corpore civilis juris tituli, in oſtendenda varietate rerum occupati ſint, *vid. tit. 9. lib. 1. ff. it. tit. 1. pr. §. 1. ſeq. ad §. 11. cum tit. 2. lib. 2. Inſt.* II. in ſpecie jura dum dirigunt actionem ſubditi in tractatione rerum, propter varietatem illarum variant, e. g.

In acquiſitione dominii, per Occupationem, Acceſſionem, Traditionem *vid. v. c. d. t. 1. lib. 2. Inſt. à §. 12. ad fin. tit. 1. tit. 2. ff. lib* 41. Uſucapionem. *vid. tit. 6. lib. 2. Inſt. tit. 3. ff. lib. 41. tit. 31. lib. 7. Cod.*

In materia ſervitutum, in ſpecie in uſufructu *vid. tit. 4. lib. 2. Inſt. tit. 1. tit. 5. lib. 7. ff.*

In contractibus v.g. in mutuo, de quo *lib. 3. Inſt. tit. 15. in pr. & §. 2. lib. 12. ff. tit. 1. &c.*

In antichreſi reſpectu uſurarum, *conf. l. 17 C. d. uſur.* cum ceteris textibus, qui de uſura loqvuntur. *Rittersh. d. diff. Jur. Civ. & Can. lib. 3. c. 7. Ludvv. Diſput. ad Inſtit. XI. th. 12. in fin.*

In dote, *vid. pr. Inſt. quib. alien. lic. vel non. tit. ff. d. fund. dot. l. unic. §. 15. C. d. rei uxor. action.*

In poteſtate tutorum & curatorum circa alienationem rerum pupilli vel adulti *vid. tit. ff. d. reb. eorum qui ſub tut. vel cur. tit. C. d. præd. & aliis reb. min. ſin. decret junct. l. 22. §. ult. C. de adminiſtr. tut. vel curat. l. ult. C quand. decret.*

In legatis e. g. ſi res in genere legata ſit, *vid. l. 13. l. 37. in pr. l. 108. §. 2. de legat. 1. l. 25. §. 17. fam. erciſc. & confer. l. 71. d. legat. 1. l. 69. §. 4. d. jur. dot. add. & l. 115. in pr. d. Verb. Oblig. Vinn. ad §. 22. Inſt. d. Legat. n. 2. & 3.*

In Solutionibus, quippe in quibusdam rebus compenſatio admittitur. *vid. tit. ff. & C. de Compenſat.*

In delictis e.g. in furto, rapina, damno injuriâ dato, *§. 2. verſ. quod autem ad eas res. Inſt. de uſucapion tit. Inſt. & ff. de L. Aquil.*

In actionibus judicialibus, ſic e. g. (1.) non omnis rei nomine ad exhibendum agi poteſt. *l. 2. l. 3. §. 9. ff. ad exhibend. l. 56. de Procuratorib. l. 38. de judic. vid. Colleg. Argent. ad tit. ff. ad exhib. th. 6.* (2.) In rebus quibusdam, propter conditionem earum, etiam dominus poſſidens agere actione reali tenetur, quia ſc. & alius ſimul poteſtatem in ea exercere poteſt. Et ita explico *§. 2. Inſt. d. action.* Et ita deinceps. Utrum verò Romanorum LL. cujusque rei conditioni convenienter ſemper diſpoſuerint, v. g. in acceſſione fundamentum præſtantiæ ſemper ex conditione rerum cum humana collatarum indigentia, atque ex eo quam quælibet utilitatem præbeat, an potius ex Metaphyſica deſumpſerint, jam non libet nec licet diſputare.

CAPUT VII.

De ingenio populi, Sexta LL., & in ſpecie noſtrarum regula.

Th. I.

INgenium, mores atque affectiones populi noſſe debere Summam Civilem Poteſtatem, quæ rectè curare & regere velit ſubditos ſuos, imò non ſui modò & populi in genere, ſed & finitimæ gentis, politicorum dogma eſt. *vid. Kek. Syſtem. Polit. lib. 1.*

c. 5.

c. 5. *Bod. de repub. lib.* 5. *c.* 1. Quibus duo innuunt, I. eſſe certos quosdam hominum mores, tùm communes ferè omnibus, tùm proprios quibusdam. II. Horum utrorumque in legumlatione habendam eſſe rationem. De utroque breviter videbimus, ſubjectis tandem (ut exigit lex methodi) exemplis aliquot id genus morum, & legibus ex juris noſtri corpore ad eosdem directis.

Th. II. Et quidem quod ad primum attinet, nempe communes quosdam generi humano mores dari, dari & proprios, non tantùm certæ nationi, ſed & ſexui, ætati, ſalvâ veritate, non poterit negari, & ſi id ire audeas inficias, vereor, ne experientiâ optima rerum magiſtrâ convincâre. Nec adeò difficile foret ſeu horum ſeu illorum proprias aſſignare cauſas; ſed id nobis propoſitum non eſt, maximè quando de re ipſa ex communi conſenſu, aut certè doctiorum conſtat. Communium & ſexus morum infra erunt teſtimonia. De moribus ætatum inter alios diſputatione quadam Jenæ habita egit D. Dilherr, ubi & eorum invicem comparationem inſtituit, & cujus ætatis mores alterius ætatis præferendi ſint, prout ipſi videatur, indicat. Diverſum diverſarũ gentium ingenium Bodin. *d. lib.* 5. *de repub. c.* 1. ſubjectis vel præmiſſis ſimul cauſis, pluribus deſcribit.

Th. III. Vtrum autem illi mores, qui & ſæpius non ſunt ſine vitio, dum feruntur LL., debeant attendi, ſecundo loco quæritur? Ad quod dici poteſt, ſi indifferentes ſint, nec ſingulis, nec omnibus ſeu publico adverſi, boni Principis non eſſe, ſine cauſa, lege ſua pugnare quaſi cum ſubditorum moribus, eosdemque mutare, quod & absque reipub. incommodo fieri non poteſt: multò minus boni & utiles debent extirpari, ſed defendi & confirmari potius. Sin cum ſtatu præſenti conſiſtere non poſſint, nec mutare formam placeat, it. ſi ſingulis tantùm damnum immediatè afferant, denique ſi turpes, iis quidem obviam legibus eundum eſt, attamen adhibitâ prudentiâ. Vt enim qui mutari mores poſſunt & debent, uno momento corrigantur vel eradicentur, fieri non poteſt, maximè ſalvâ & integrâ repub. Atque ita ſive ſint alendi, ſive ſaltem ferendi quacunque de cauſa, ſeu corrigendi veniant, quando LL. feruntur, negligi non poſſunt. Repetere

hic in fine theſis liceat ſupra citata verba Clapm. *l. 1. c. 6.* In juriſprudentia aliud eſt juſtum ſimpliciter, aliud pro hac vel illa repub., hac vel illa gente. *add. D.Gerb. d. l. th. 260. in med.*

Th. IV. Perga nunc ad exempla morum & LL., quæ ad eosdem reſpiciunt.

I. Id hominum commune igenium eſt, ut non facilè alteri quid gratis dent aut faciant. Huic hominum affectioni (de qua nemo dubitaverit, & teſtis eſt JCt. Paul. *in l. 25. ff. d probat. & præſumpt.* de qua plura jam) tanquam principio vel fundamento alicui multæ LL. innituntur, v. g. (*1.*) JCt. Paul. *cit. loc.* tractans quæſtionem, ſi quis ſolutum tanquam indebitum repetere velit, uter debeat probare, num actor, indebitum fuiſſe, an reus, quòd actor debitum ſolverit; Reſpondet, ſi initio confiteatur (ſc. reus) ſuſcepiſſe pecunias, dicat autem, non indebitas ei (ſibi) fuiſſe ſolutas, præſumtionem videlicet pro eo eſſe, qui acceperit, nemo dubitat; ſubjecta ratione: Qui enim ſolvit, nunquam ita reſupinus eſt, ut facile ſuas pecunias jactet, & indebitas effundat. Quaſi dicat, homines natura ſua ad res quàm maximè attenti ſunt, & omni ratione acquiſita conſervare ſtudent, certè ne ad alium gratis perveniant, ſummam curam impendunt. Ergò propter hoc commune hominum ingenium omninò præſumendum eſt, eam quoque diligentiam adhibitam fuiſſe in caſu ſolutionis factæ. Conſequenter indebitum errore ſolutum eſſe aſſerens id probare debet. Voluit itaque Imperator in materia præſumptionum generali inter alias & hanc ex d. JCto judicibus & aliis in caſu dubio præſumendi regulam tradere. Concurrit quidem in allato exemplo & aliud principium; at JCtum magis reſpexiſſe ad id, quod diximus, probant verba, quibus utitur, jactare, effundere, it. quæ paulo pòſt ſeqvuntur, ubi exceptionem tradit in illis, qui vel tali communi affectu ob unam vel alteram cauſam non ducuntur, vel quod ita ſoluta pecunia facilè amitti poſſit, non intelligunt. *Colleg. Argent. ad d. tit ff de probat. & præſumpt. th. 15. in pr. Vinn. ad §. 41. Inſt. d* R.D. *n. 1.* (2.) Præcedenti ſimile eſt quod dicitur in *l. 13. in pr. C. arbitr. tut.* (3) inde pendet *l. 1. §. 1. ff. quæ res pignor. vel hypoth. l. 28. §. ult. ff. de pact.*

pact. l. 7. pr. ff. de donat. (4.) propter hanc cauſam qui data pecunia miniſterium tutelæ redemit, ſuſpectus habetur. §. 10. *Inſt. de ſuſpect. tut.* (5.) inde eſt L. Falcid. *pr. Inſt. de L. Falcid.* it. SCt. Trebellian. & Pegaſian. §. 4. §. 5. *Inſt. de Fideicomm. libertat.* (6.) Huc reſpicit §. 41. *Inſt. d. R. D. it.* (7.) *l. 14. §. 7. ff de relig & ſumpt. fun. verb. interdum.* E. regulariter aliud obtinet (8) huc referri debet *l. 9. d. R. I.* (9.) eandem rationem habet. *l. 66. ff de judic. add.* §. 34. *Inſt. de action.* (videntur quidem in *d. l. 66. & d.* §. 34. etiam aliæ rationes ſubeſſe; ſed ſi ulterius inquiratur, res ferè redit ad rationem noſtram) (10) hoc fundamentum agnoſcit *text. 2. Feud. 44. à verbis: dummodo ſcias, quod ſi ad libellum. &c.* (11) pertinet huc 2. *Feud. 48. in fin. à verbis: Sed qualitercunq; ei datum fuerit.* Mille talia ex jure poſſent colligi.

Th. V. Quod verò hæc hominum erga rem propriam affectio, præcepti naturalis, de ſe conſervando, ſit ſæpius abuſus atque exceſſus, & lædat alterum præceptum, de diligendo proximo, ſicut ſemet quisque amat; veritati deditus, & qui eſt alicujus conſcientiæ, inficias non iverit. Sed ob humani cordis duritiem, cui in republ. non raro concedendum, illud hactenus pro regula videmus: Prodeſſe alteri nemo cogitur, modò non noceat.

Th. VI. II. Hominibus commune eſt, ut liberalitatis laudem tùm maximè venentur, quando rebus ſuis jam non amplius uti ſe poſſe credunt. Quapropter lata fuit Lex Fuſia Caninia, quæ liberalitatem iſtam decedentium reſtringeret, ne damnum inde in rempubl. redundaret. *Vinn. ad tit. Inſt. de L. Fuſ. Can.*

III. Parentes liberos maſculos ferè plus amant atque fœminas. Quare nepotes poſthumi olim nominatim erant exheredandi; §. 1. *Inſt. de Exhered. liber.* ne ſc. videri avus poſſit & debeat, de poſthuma fœmina potius naſcitura, quàm de poſthumo maſculo cogitaſſe. *Weſenb. Vinn. ad d.* §. 1.

IV. Mulieres non facilè adducuntur ut ſua alienent. Propterea (1.) L. Julia ſaltem rerum ſuarum obligationi eas conſentire prohibuit, non verò alienationi, *pr. Inſt.*

quibi

quib. alien. lic. vel non. l. unic. §. 15. C. de rei uxor. action. Vinn. ad d. pr. Inſt. n. 4. & ad tit. Inſt. de L. Fuſ. Canin. (2.) Eò etiam tendit SCt. Vellejan. *vid. l. 4. § 1. ff. ad SCt. Vellejan.*

V. Sexus fœmineus ditatus inſolenter ſeſe efferre ſolet, & inſultare ipſis viris. *vid. Syrac. c. 25. v. 29.* Quare Sext. Cæcilius JCt L. Voconiam, quâ nihil utilius ſibi videri dixit, revocandam cenſuit. *Vinn. ad §. 3. Inſt. d. Legit. agnat. ſucceſſ. n. 4.*

VI. Ægyptii ingenio leves & mobiles ſeu ſeditioſi dicuntur, certè tempore Auguſti tales judicabantur. Unde Auguſtus maximam eorum curam habuit, nec Senatum ipſis habere permiſit, & Ægypto regendæ præfectum ex equitibus, non ex Senatoribus conſtituit, ne ſub potentiori præfecto facilè ad res novas impellerentur. Imò quòd turbas & ſeditiones eorum metueret, nec Senatori ſe inconſulto Ægyptum adeundi poteſtatem dedit. vid *quæ ex Dion. & Tacit. tradunt Cujac. parat. Cod. lib. 1. tit. 37. Bach. ad tit. 17. lib. 1. ff. np. de Offic. Præfect. Aug.* Et hæc hactenus ſufficiant.

CAP. VIII. & ULTIMUM.

De Loco & Tempore, Septima & Octava LL., & in ſpecie noſtrarum regulis.

Th. I.

EX Legum regulis aut fundamentis, quæ primo capite hujus Diſputationis noſtræ retulimus, & de quibus agere promiſimus, duo ſuperſunt, Locus ſc. & Tempus, de quibus breviter hoc capite videbimus. Sed de LOCO prius.

Th. II. Loci circumſtantiam, cum rebus, de quibus ſupra actum, idem eſſe, non credo aliquem putare: nec locus hîc eatenus conſideratur, quatenus diverſa in diverſis locis hominum ingenia naſcuntur; ſed aliam ejus naturam, opportunitatem,

tatem, incommoda hîc attendimus. Quàm verò utile interdum ſit in peragendis rebus habere rationem loci, imò quanta ſæpius neceſſitas, ad loci circumſtantiam reſpicere, clarius eſt, quàm ut multa de eo verba facere neceſsè ſit. Quod verò idem, dum feruntur LL., fieri debeat, dubitare prohibet, tùm quòd qui de ferendis LL. loqvuntur, & quid ſit conſiderandum, monent, loci vel inprimis mentionem faciunt. *vid. Kekerm. ſyſtem. Polit. lib.1. c.6.* tùm quod ipſa ratio ſatis dictitat *v.g. L.Rhodia d. jactu*, in genuino ſenſu, non ubique poſſe eſſe uſum, aut *tit. ult. lib. XI. Cod. de cupreſſ. ex luco Daphn. &c. non excid. vel vend.* e. g. in Thuringia vel Alſatia. Denique quantum loci ratio, dum hoc aut illud conſtituitur, conſideranda ſit, vel hæc optima Argentinenſis multis nos docere poſſet. Plura igitur non addimus.

Th. III. Ad loci circumſtantiam in jure noſtro reſpiciunt (1.) *tit.17.lib.1.ff. & tit. 37. lib. 1. Cod.*, in quibus agitur de officio præfecti Auguſtalis, cujus Conſtitutionem ab Auguſto fieri ac pendere, loci i. Ægypti ratio vel maximè, tunc temporis poſtulare viſa eſt. *vid. Weſenb. ad d. t. ff. & C. Bach. prim. part. pand. ad eund. tit. add. Clapm. lib. 4. de Arcan. rerumpub. c. 3.* (2) Fœnus nauticum loci conditio defendit. *tit ff. d. Naut. fœn.* (3.) Teſtes non temerè evocari per longum iter conſtitutum *l. 3. §. 6 ff. d. teſtib.* (4.) Si magno locorum intervallo disjunctum ſit pupilli patrimonium, poteſt v.g. rei Africanæ aut Syriacæ tutor dari. *l. 15 ff. d. teſtam. tut.* (contra quam cautum *l. 12. l. 13. l. 14 ff. eod. §. 4 Inſt. qui teſtam. tut. dar. poſſ.*) (5.) In concedendo tempore ad ſe excuſandum ab onere tutelæ, loci ratio habetur. *§. 16 Inſt d. Excuſat. tut.* Simile exemplum extat in *l.7. ff. d. Feriis.* (6) Codicillos loci ferè ſuaſit ratio. *princ. Inſt. d. Codicill.* (7.) De domo ſua nullum in jus vocari placuit *l. 18. ff. d. in jus vocand.* minus verò extrahi. *l. 21. eod. tit. l. 103. d. R. I.* (8.) quod alio loco debetur, alio peti non debet, niſi loci, quo dari promiſſum eſt, mentione facta *§. 33. Inſt. d. Action. tit. ff d. eo quod cert. loc. & tit. Cod. ubi conv. qui cert. loc. promiſ.* (9.) vid. *l. 3. C. d. operib. publ.* (10.) Furtum in balneo commiſſum gravius punitur. *tit. ff. d. Furib. baln.* (11.)

 vid.

vid. *l.* 24. *pr. ff. ad L. Iul. d. adult.* (12.) inſpice *lib.* 43. *ff.* ubi aliquot tituli loci rationem habent. (13.) Non ſine loci conſideratione Imperatoris noſtri Francofurti fit electio. *A. B. tit.* 1. *&* 2. (14) vid. *Ordin. Regim. Anno* 1521. §. Und ſoll unſer Regiment. 8. *& ſeq. R. I. Anno* 1524. §. Doch ob ſich. 3. (15.) Nec ſine loci ratione Imperii noſtri judicium Spiræ eſſe placuit. *Ordinat. Cam. part.* 2. *tit.* 34. Sexcenta talia in jure deprehendes.

Th. IV. Reſtat ut de Tempore dicamus. Tempus nos non conſiderare Phyſicè, vel ex Diſputationis titulo apparet. E. fruſtra circa nomen labor eſt. Cogitationes potius ad duo conſueta dirigamus. Et quidem ut de eo, quod ſemper primum, & jure ſuo eſt, an ſc. temporis hîc & illîc & adeò in ferendis LL. ſit habenda ratio; incipiam, tantus omnium conſenſus atque concors eſt ſententia, ut pigeat vel verbum addere. Etenim nullibi non hoc, iſtud, illud, aliud, & ideò hujus, illius legis ſeu rigorem ſeu æquitatem temporis vel clementiæ vel injuriæ à juvenibus ac ſenibus audias adſcribi, vim tempori maximam ab omnibus, ſeu docti ſeu indocti ſint, nunquam non attribui. Audiamus e. g. Valer. Tribun. Pleb. apud Liv. lib. 34. Velut in navis adminiſtratione, alia in ſecunda, alia in adverſa tempeſtate uſui ſunt: Sic haud aliter quoque in reipub. adminiſtratione accidere ſolet. *Clapm. l.* 4. *de arcan. rerumpub. c.* 7. ita: Evenit aliquando ut reipub. neceſſitas quid poſtulet, & tunc neceſſitatis ea vis, ea dignitas, ut ſæpè rei non licitæ jus & æqvum tribuat. Et *lib.* 5. *c.* 1. *in fin.* Jus naturæ corrigitur à jure gentium, jus gentium à jure militari. &c. Sext. Cæcilius *apud Gell. lib.* 20. *Noct. Attic. c.* 1. ita: Legum opportunitates & medelæ pro temporum moribus, pro utilitatum præſentium rationibus &c. mutantur atque flectuntur, neque uno ſtatu conſiſtunt: Quin ut facies cœli & maris; ita rerum atque fortunæ tempeſtatibus varientur. Non eſt igitur quod his diutius immoremur.

Th. V. Reſpiciunt ex jure noſtro ad circumſtantiam temporis v. c. (1.) *tit. ff. d. Feriis & dilat. & diverſ. temp. tit. Cod. d. Feriis.* (2.) *l.* 8. C. *d. teſtam. Colleg. Argent. ad tit. ff. qui teſtam. fac. th.* 26. add. de moribus noſtris eo caſu *D. Struv.*

S. I. C. Exerc. 32. th. 21. (3.) vid. quæ dicit Imper. Juſtinian. *in tit. C. d. Caduc. tollend. in pr. & add. quæ ibid. Gothofr. ſub lit. e. ex Liv.* (4.) *l. 1. l. 2 ff. d. Furib. balnear. l. 5. princ. & §. 1. ff. d. re milit. l. 1. pr. ff. ad L. Corn. d. Sic. §. 5. Inſt. d. Publ. judic. in verb. qui hominis occidendi cauſa. Vinn. comment. ad d. §. 5.* (5.) *l. 1. C. quand. liceat unic. ſin. jud.* Cui non abſimile, quod habetur in *l. 6. §. 9. d. injuſt. rupt. irrit.* (6) *cauſ. 30. quæſt. 3. c. 4. it. Diſtinct. 4. c. 21. de Conſecrat.* (7.) *R. I. d. Anno* 1570. §. 19. Derhalben ſolcher. Et hîc ſubſiſtimus. Atque ita ea, quorum præfatio mentionem fecerat, ad quæ ſc. cùm LL. lator, ut rectè fungatur munere ſuo, tùm judex atque interpres, ſi hæc nomina mereri velint, inprimis reſpicere debeant, ideoque ignorare ea nullo modo poſſint, ſummo ſaltem digito, ut per temporis atque aliorum rationem licuit, hâc quidem vice, attigiſſe ſatis ſit. Deo Opt. & Max., Illi, quem deſcribit S. Paul. *1. Timoth. 6. v. 15. & 16.* ſit Laus Honor & Gloria in ſempiterna ſecula.

COROLLARIA.

I.

STatus per ens ſuppoſitivum morale rectè non deſcribitur.

II.

Obligationis primum & ſummum fundamentum à parte ſubjecti obligati eſt die Empfindlichkeit.

III.

Dominii formalem rationem in proprietate conſiſtere negatur: Imò termini:

mini: proprietas, proprietatis dominium; ſi in ſignificationem illorum accuratè inquiras, dubia & admirationem pariunt, & vix certi quid oſtendunt.

IV.

Diviſionem rerum in corporales & incorporales; in materia acquirendi dominii, (ſi res in ſe conſideretur, & ex vero æſtimetur) neceſſariam aut utilem eſſe, valde dubito.

V.

Conſtitutio *c.5. Extr. d. raptorib.* juri naturæ eſt conveniens.

VI.

In Feudalibus tum demum ad textus Digeſt. &c. recurrendum, quando deeſt argumentum à ſimili.

VII.

Text. 2. *Feud.* 30. *in med. in verb. Alij verò dicunt*; principiis feudalibus magis eſt conveniens, atque præcedens ſententia.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE